

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,  
*De*  
**INFANTIBUS SUP-  
 POSITITIIS,**

*Quam,*

THEÔ ΠΙΣΤΩΧΟΣ ΘΕΣ ΑΥΓΕΡΥΞΗΘΟΣ,

Et Ampl. Facult. Phil. in Regia & illustri  
 Finnorum Academia, consentiente,

PRÆ SI DE,

*Amplissimo & Praeclarissimo,*

**DN. M. PETRO HAHN,**  
 Naturalis scientiæ Professore Ord.  
 celeberrimo, Mæcenate & Præceptorе suo æ-  
 terna animi obſervantia deveneſando.

*Placida εἰλικρινῶς Φιλοσοφεῖτων κέρος & pu-  
 blico examini, quā par est modestiā, submissi-*

**HEMMINGIUS M. MONTELIUS,**

*Wex: Smol: Reg. Stip.*

Ad diem 24. Maji, Anni *τῆς παρθενοτοκίας*  
 nonagesimi supra millesimū & sexcentesimum,

*In Audit. Maximo, horis ab 3 vā maturinis.*

---

Абоъ, Impr. apud Joh. WALLIUM. A.T.

SACRA REGIE MAJESTATIS fidelissimis,  
Amplitudine, Nobilitate & Justitia maxi-  
mè inclytis,

DN. ERICO FALANDRO,

Regii Judicij, quod Aboæ est Assessori con-  
sultissimo & gravissimo, Domino meo gra-  
tiosissimo.

DN. HANS BERGMAN

Dn. de Berg/ Wahretorp/ &c. in Sonnerbo  
Judici territoriali æquissimo, Patrono &  
Promotori submisse colendo.

Nec non Dignitate, honoribus, meritis, pru-  
dentia & eruditione laudatissimis,

DN. M. NICOLAO LUNDENBERG/

Præposito in Morwidinge Hårad / & Pastor i  
Tolg meritissimo, Mæcenati & Evergetæ  
obsequiosis officiis maxime colendo.

DN. MARCO HEMMINGIO,

in Berg Pastori meritissimo, Patri charissimo,  
qvois filiali cultu æternum suspiciendo.

DN. PETRO HEMMINGIO,

Scholæ Wex: supremo Collegæ dexterissimo,  
Patruo perqvam officiose colendo.

DN. ASSAR ROMANI per Dynastias

Eronoborgs & Calmaria Geometræ perindu-  
strio, Evergetæ nunquam non honorando.

DN. JONÆ MONTELINO, in Berg Ecclesia-

stæ vigilantissimo, fautori probatissimo,  
*Salutem, Felicitatem & Annos!*

**H**abetis heic, Patroni Dominique  
maxime colendi, meas quales-  
cunque ex Musarum Charitumq;  
gazis depromptas, primitias, quas, nullo scri-  
pturiendi pruritu, nullo temerario impetu,  
nulla vana fiducia, multo minus iuxtag-  
ubertate inductus: sed saltem ingeniali mei  
non tam perficiendi, quam explorandi causa,  
in lucem mittere decrevi. Ut autem hinc  
pagellis lumen, quod ex se ipsis non habent,  
nominibus Vestris fenerarer, easq; deinde an-  
te pedes Vestros deponerem; jussit in primis  
perpetuus meus Vobis inserviendi & obsequen-  
di animus; incitavit quoque singularis Vē-  
stra in me animi promptitudo, incredibilis be-  
nevolentia & favor summus; expostularunt  
que demum, suo quasi jure, cum ampla, tum  
præclara Vesta in me saepius collata merita  
& beneficia. Quidam enim Vestrum me in-  
formationibus venustatis succo affatim deli-  
butis imbuistis, quidam admonitionibus salu-  
taribus, suadelis mellifluis & methodico stu-  
diorum regimine informatum plurimum  
adjuvistis, quidam studiorum subsidiis sub-  
mini-

ministratis, Et sic omnes me benignitatis  
Et favoris Vestræ radiis perfusum volans, is,  
meisque studiis favonio faventia adhucratis.  
Tibi vero, dulcissime Parens, vitam Et  
quicquid habeo, aeternum sine ulla remune-  
rationis spe, debeo. Accipite igitur, Mæ-  
cenates ac Domini reverenter colendi,  
hoc levidense Et minimi pretii (si animus  
non respiciatur datoris) munus, non velut  
anctidæq; Vestrorum in me meritorum; sed  
in perpetua observantia meæ tessera, gra-  
tique animi symbolum Et argumentum,  
ne necesse sit, Vos, ingentium benignitatis  
Vestræ Et favoris meritorum in me collato-  
rum, dum omni eorum fructu carere co-  
ganimi, planè peniteat, ac me, velut a-  
gricola agros bene à se cultos, quando nul-  
lam messem referunt, relinqvatis. Hoc si  
perspicere, Vobis publicis gravissimisque ne-  
gotiis occupatis non vacuerit, saltem fa-  
venti nutu suscipiatis, placido vultu accipia-  
sis, Et benigna fronte aspiciatis, submissæ Et  
officiose oro Et obtestor. Huic enim si fa-  
veatis, gaudebo; hoc si faventes foveatis,

gaud-

*gaudens laudabo; si faventes foventisque  
protegatis, gaudens laudansque predicare  
non desistam. Et si aliquando gnariores  
meæ Musæ limatus aliquod efficere valeam,  
operam libenter spondeam. De cetero Py-  
lios dies, Nestoris annos, Priami tempo-  
ra, eaque felicissima Vobis Vestrisque cer-  
namus precor, & pio vrovo zelo, qui sum  
maneoque, dum spiritus hos regit artus*

## *Vestrarum Amplitudinum & Dignitatum*

*humilimus & officio-  
fissimus*

*H. MONTELIUS,  
Auct. & Resp.*

*Ad Pereximum Studiosum.*

DN. HEMMINGIUM MONTELIOUM,  
Smol.

*Ομοχώρων,*

De INFANTIBUS SUPPOSITITIS felicitè  
disputantem,

*Πεντεσιχον:*

**S**plendida primævi spernens habita-  
cula Regni,

De monte hic præceps truditur aëreo,  
Tartarei portat claves & claustra ba-  
rathri,

Nigrantisq; orci janitor héic recubat,  
Cladibus intentus variis, qvem lusus  
& astus

Mirificè oblectant! Pernicies ho-  
minum!

**Q**uòd Sathanas gnatos supponat nempè  
dolosus,

Ancipiti vulgus lance docet, spurios.  
Hoc dirimit dubium sophiæ genuinus  
Alumnus,

MONTELIUS Pindi culmina summa  
petens.

*L. Mq.*

*ELIAS LIL. LANDZ/*  
Med. Doct. & Prof.

Christe juva, sancto mea flamine cœpta secunda!  
Sic opus in laudem desinat omne Tuam.

## SECTIO PRIMA.

Existentiam Infantium supposititorum astru-  
ens & ὄροματολογίαν exhibens.

### §. I.

 voniam iis, qui rem aliquam considerandam, cum primis talem, quæ circa quæstionem τὸ οὖτι dubium patitur, aggrediuntur, usu venit, idem, pro facilitiori & feliciori ad tractationem aditu, tollere: Idem nobis faciendum arbitramur: idq; haud sine ratione, cum enim ὁ Βίος Θεάτης, ή δὲ τέχνη μανθάνει, ut inquit Hippocrates, nihil ergo futilius aut ineptius, quam in re minus existenti disquvirenda vitam consumere, præsertim cum ista, quæ majoris mundi ambitu concluduntur, in elementorum regno oculis coggeruntur, in interiori globi terraquei structura inveniuntur, in pulchra exteriori facie offeruntur, ne dicam, quæ in tota rerum naturâ

dantur, nullus unquam exacte mirari, ne dum rimari, possit vel potuerit. Adeo ut in tanta tamque profunda rerum ubertate, non opus sit, quamvis sagacissimo & acutissimo, aliquid, cui ingenii tentamina immergit, vel quod rationis judiciis subiiciat, comminisci. Dari autem infantes suppositios, quibus malignus spiritus, quem nec calliditas, nec fraus, nec dira potentia deficit, miseros mortales illudit, decipit, fallit, rerum magistra quotidiana experientia clare edocet. Et quamvis sufficeret, si solum ad illam provocaremus, ne tamen quis existimet, nos historiarum prorsus destitutos testimoniis, quandam fide dignam, ex Colloq. Mens. B. Megalandri, latino idiomate in hunc ferme modum relatam, subnere placet : Ante octo annos Cambionem quendam duodecim annorum vidi & contrectavi, hic oculis & omnibus sensibus praeditus erat, adeo ut haud pauci eum verum hominem esse fibi perivaserint: ast semper domide-  
ses se.

ses sedens tantum cibi, quantum quatuor a reatoribus sufficeret, canum more deglutivit & devoravit, excrementsa solvit, aliasqe hominis actiones edit. Dum aliquid adversi in domo accideret, latus magnum sustulit cachinnum ; contra vero si quid secundi eveniret, haud exiguum cepit dolorem & misere contristatus est. Plura exempla tum ex eodem, tum ex aliis non levibus auctoribus afferre equidem possemus, sed *τὸν ἀνυπονεῖσθαι καὶ τὴν γέλασίν τε περιεπειπτεῖσθαι*.

## §. II.

*Όνομά ἐστι ὄργανον σύδαισκαλικὸν καὶ σια-  
κελπικὸν τῆς θεσίας, ὡσπερ κύρῳ οὐδάσματι,* dicit alicubi insignis Atheniensium philologus Plato. Et cum nemo non *τῆς ονομαθεσίας* errorem, erroribus aliis viam folere pandere, πολυσημίας lectorem conturbare, & *ισοδύναμίας* sæpe numero fallere, confiteri necessum habeat ; contra vero profundiorem cuiusqe rei evolutionem, ab ipsius vocis originatione, veritati viam aperienti, pro-

ficiisci, omnibus, quibus rectæ rationis facultas in transversum non est rapta, innotuit. Qvapropter confirmata sic breviter in superiori paragrapho Infant: Supposititiorū existentia, nunc, ne legis bonæ methodi transgressioni obnoxii fiamus, profundamq; errorum sylvam ingrediamur, enodationem nominis aggrediamur. Quam tamen magno verborum apparatu producere supercedemus, cum voces quæ huic dissertationi nostræ nomen dedere cuivis inquieti viam suam ultro pandant. Vocabulum *infans* natales suos dicit à præpositione *in* & à verbo *fari*, quasi sit is, cui sermo est denegatus, vel qui *fari* aut loqui non potest. In Compositione enim gaudet Latinorum *in* ut plurimum eadem significatione ac Græcorum  $\alpha\sigma\tau\eta\eta\lambda\kappa\omega$  vel  $\alpha\sigma\tau\eta\eta\lambda\kappa\sigma\tau\omega$ . Qvantum attinet ad vocem  $\gamma\zeta$  *supposititii*, nemo est qvi non novit promanare eam à verbo *suppono*, quod interdum idem est ac falsum pro vero vel loco veri pono, juxta illud Terentii in Eun. Act.

5. sc: 3. Referam illi sacrilego gratiam, qui  
hunc supposuit nobis. Et Cornelii in vita  
Datamis cap. 9. At insidiatores, postquam  
*in eum locum agmen pervenit, decepti ordi-*  
*ne atq; vestitu, in eum faciunt impetum, qui*  
*suppositus erat.*

### §. III.

Homonymia vero majus faceſſit  
negotium, quoniam hæ voces ſint ἐκ  
Τῶν πολλακῶς λεγομένων, & dubiis ſen-  
tiarum fluctibus agitantur. Conſide-  
rabimus itaq; imprimis terminum incom-  
plexum, *infans*, cuius varias in apricum  
dabimus ſignificationes, ſumitur autem  
(a) pro homine indocto, vel eo, qui pro  
ſe dicere non potest, ſic Cic. nibil Lentu-  
lo infantius. Et: ipsum Scipionem accepimus  
non infantem fuiffe. (β) pro insipienti &  
ſtolido, Cic. (γ) pro parvo, ut: *infans bo-*  
*letus*. plin. (δ) pro recenti, ut *Cafeus*  
*infans*. Virg. (ε) & magis proprie pro  
execrabi, nefando, inaudito. (ϛ) proſœ-  
tu ſive brutorum ſive hominum. Et detum  
(ζ) pro homine prime etatis, vel pro eo,  
quod assimilatur tali homini, ut heic

Ioci. Qvod vero terminum complexum, *Infans supposititius* concernet, tum sumitur vel γενικῶς seu in sensu latiori, pro quo libet *supposititio infante*, & sic vero homini etiam tribui potest; vel ἐιδικῶς & quidem in sensu famosiori, pro eo tantum fætu, quem summus artifex *Diabolus* producit & supponit. Et hunc posteriorem nos hac vice venamur. Exigente sic connexione ordinis, pervenimus iam ad *voces æquipollentes*, quæ variæ sunt, dicuntur enim alias apud Latinos: *Subdititii liberi*, *Cambiones* ab antiquorum *cambio*, hoc est: muto, à *vagitu* illorum fere continuo *vagiones* etiam appellari neverunt. Græcis dicuntur νύποι ὑπόβλητοι, ὑποβολίμωαι, δοτοι τοις ὑποβάλλειν, subjicere, subornare. Germani, Sveci & Finnones talia etiam illis nomina tribuunt, quæ partim ad *suppositionem*, partim ad attributa illorum alludunt.

## SECTIO SECUNDA.

*Infant: supposititorū continens Descriptionem,*  
*& delineans causas.*

## §. I.

**N**unc harum dubitationum nubeculis aliquo modo disiectis, & ea, quæ ad Infant. Suppositiorum naturam illustrandam pertinent tractare pergamus. Sed ne navim prora carentem fluctibus commisisse videamur, operæ premium ducimus, si ab ipsa definitione ordiamur, *Omnis enim quæ à ratione suscipitur de re aliqua institutio, debet à definitione proficiisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputetur.* Egregie monet vir ille prudentia & eloquentiâ inter Romanos sine controversia princeps Cicero lib: I. offic. Ast cum intellectum tenebris obscuratum, accuratori difficultimæ hujus materiei scrutationi obicem ponentem habeamus, adeo, ut vas vitreum instar vulpeculæ à Ciconia elusæ lambamus, pultemq; haud attingamus, *Comprehensivam, quidditativam & distinctam substratæ materiei cognitionem dans definitio à nobis non est exspectanda, præsertim cum natura etiam ipsius rei repugnet; sed saltem appre-*

hensivam, quidditatis & confusam, quæ alias imperfecta seu descriptio audit. Eamq[ue] talem apponimus: *Infantes suppositi* sunt fœtus, figuram hominis representantes, à Diabolo in sagarum utero ex sanguine vel aliâ materiâ efformati atque producti, & loco verorum Infantium suppositi, quos ipse presentia sua movet ac dirigit, ad illudendum hominibus. In quâ eos esse fœtus statuimus, quo conceptum convenientie, in quavis descriptione principali, ad monitum Logicorum, adhibendum, expressum volumus; habere autem fœtus se ad illos tanquam *essentiale latius* quid, exinde liquido constat, quod non solum hominibus, verum etiam bestiis & plantis tribuatur, ad omnia fere quæ nascuntur transferatur, & in quæstione quid prædicetur. Sic apud Plinium: Auferre fœtum uberibus, legimus. Poëtarum Coryphæum, Virgilium etiam in libris Georg. Terræ & arboribus illud vocabulum tribuisse, non semel deprehendimus. Hunc denique conceptum suo definito proxi-

me latiorem esse, cum nullus alias inter  
hoc & illum dari possit, patet. Hæc de  
*conceptu latiori seu convenientia dicta sunt*,  
sequitur *conceptus strictior*, qui alias *dif-  
convenientia seu distinctionis audire t'evit*,  
isq; à causis desumend<sup>9</sup>, qvævis enim de-  
finitio est vel essentialis, vel accidentalis,  
vel etiam causalis: Teste Maxime Reve-  
rendo Dn. Doctore Jacobo Flachsenio  
in collegio Logico pag. 598.

### §. II.

Causas esse numero quatvor, dudum  
citra pulveris jactum in Scholis Philo-  
sophorum evictum ac comprobatum  
est, Infantibusq; supposititis eas omnes,  
prout ex descriptione modo allata col-  
ligere est, & infra, bono cum Deo, ple-  
nius & fusi<sup>9</sup> dispalecet, competere, nul-  
li dubitamus. Et cum, quicquid est,  
ab aliquo producente seu *Efficiente* de-  
pendeat, idcirco de eo primo erimus  
soliciti, pervasum habentes diabolicum  
hunc fœtum suscipi, dum Satanas spu-  
cissimus ille spiritus, ut astutia à pri-  
mordio rerum plenus, ita potentia vali-

dus, cum Lamiis & sagis suis libidinosissimis in corpore assuuntitio congregatur. In corpore, dico, assumptitio, quoniam ipse  $\alpha\lambda\Theta\gamma\alpha\tau\omega\mu\alpha\lambda\oslash$  rem venereum exercere non potest, nam:

*Tangere vel tangi nisi corpus nulla potest res,*

Ideo sibi visibile & palpabile quoddam corpus, ex quatvor Elementorum atomis congregatis & condensatis, conficit, illud  $\omega\lambda\alpha\sigma\alpha\lambda\omega\alpha\lambda\oslash$  sibi adunitum movet & dirigit, & in illud semen aliqunde collectum, ad perpetrandas facinorum suorum abominationes, vel emittit vel excipit. Si illud jncubus vocatur, de quo nobis in præsenti sermo est, si hoc succubus vel potius succuba. Non raro etiam absque suffurato semine congriditur & sagarum uterum inflat, ut nihil dicam de congressu phantastico, quem nos etiam ambabus concedimus manibus. Constituimus autem illum horum Cambionum auctorem triplici modo (a) Ratione  $\mu\alpha\varphi\alpha\omega\alpha\lambda\oslash$   $\sigma\tau\omega\alpha\lambda\oslash$  seu *formationis*, illos enim in matri-  
ce la-

ce Lamiarum format & ad similitudinem hominis infantis figurat. (β) Ratione γενέσεως seu *productionis*, nam eos ex claustris Sagarum extrahit, & in lumen producit (γ) Ratione ὑποθέσεως seu *suppositionis*, postquam enim matribus veros suos suffuratus est Infantes, hos in locum illorum reponit. Verum enim vero ex hisce dispalescit, nos, Dæmonem non ut *causam solitariam*, sed *sociam* hos fætus producere, asserere. Saga enim turpiter turpem & nefandā cum illo rem exercendo, aptamq; corpori elaborando materiam suppeditando, ad hoc effectum etiam concurrit.

### §. III.

Corpus esse & sine materia esse, mutua se se tollunt internecione, quapropter causæ efficienti jam laconicè expositæ succedit *materialis*, quam, non commixtum esse semen Dæmonis & Sagæ, ut utriusque parentis in veri hominis generatione, adstruimus, cum Dæmoni ut corpus mixtum, ita etiam sanguinem & ex illo generatum semen com-

competere, *αεύσατος* est statuere. Assumtium corpus per quod cum suis mancipiis conreditur, omni vitâ propriè sic dictâ caret, nam formarum substantialium productio est Diabolo *ἐκ τῶν ἀδυτάτων*, secundum Pneumaticos. Hinc ergo apparet, quod solum accidentaliter, hoc est: secundum variatem & densitatem, ab aëre & ceteris elementis differat, & sic concludimus, si non vita, utique nec vitalibus operationibus, inter quas semen producere, gaudeat. Et quamvis omnis fastus ac superbiæ princeps satanas execranda cacozelia Deum creatorem semper in omnibus æmulari studeat, ex nulla tamen præexistente materia, hunc fœtum producere, ipsi impossibile est, cum entis positivi ex nihilo productio infinitam requirat virtutem, & nullum finitum sit capax infiniti, juxta Metaphysicorum canonem. Sed est vel semen & sanguis Sagarum, ad quam sententiam accedens pollicem nobis premit clariss. Sperlingius in Instit. p. m. 339, vel semen

men qvod à pollutionibus salacium hominum susturatur, & in naturalia Sagarum transfundit, quam opinionem approbare videtur Henricus Scheurl in sua Epitome Theol. naturalis. Materia *in qua* est uterus Sagarum, ubi hic fœtus elaboratur, ejus lineamenta formantur & ad similitudinem veri hominis infantis figurantur. Materiam *circa quam* geminam præcipue esse, cuivis obvium est, versatur enim partim circa beneficam quasi suam matrem, in cujus matrice elaboratus est; partim circa alios homines, quibus veri infantes & genuina proles sublata est, & hæc in locum allata & reposita.

#### §. IV.

Secundum internum principium, se, ut in corporibus aliis, ita & in hoc ad modum Reginæ habens, *forma* appellatur, quam dum levi penicillo adumbrare animus sit; omnes in primis de ea falsas opiniones præcidemus, & deinde manu maxime concisa veram arripiemus. Non enim ( $\alpha$ ) in illorum castra de-

descendimus, qvorum animus hujus sententiæ persvazione occupatus est, quod scilicet semen illud surreptitium sit animatum. Qvamvis enim hæc sententia primo iutuitu à veritate haud multum abhorrere videatur, tamen si accuratiori mentis indagine rem scrutemur, eam valde erroneam & absurdā esse reperimus. Nam constat inter omnes Physicos generationem fieri in instanti, eo ipso momento, quo semen à mare excernitur & cum muliebri commiscetur, quam primum vero extranaturalia sua pervenit receptacula, etiam si vel levissima intercedat mora, vim prolificam non retinet, virtutem πλαστικὴν amittit & mortuum fit. Deinde si esset fœcundum, inesset ipsi vel *anima tota*, vel *pars animæ*, quodcunque velint jam statuere ab insigni absurditate non est immune; prius affirmare non possunt, cum forma hæc specifica in, cum & mediante semine utriusque parentis traducatur, sicut à duabus facibus una accedi-

cenditur. Posterius si statuant, tum animam contra omnium spirituum naturam esse *μητρὶ* quid, hinc ἐνυλον, omnis enim divisio à materia oritur, & sic tandem corruptibile quid, nam omne materiatum est corruptioni obnoxium, confirmare necessum habent. Nec ( $\beta$ ) tam perfractæ mentis sumus ut idem cum iis cornu inflemus, qui Angelos cum bonos, tum malos animas producere posse ajunt; quia animæ, cum sint formæ, non pruducuntur, sed comproducuntur, teste Scheib. Met. l. 2. c. 4. unde si Angeli generarent animas, generarent etiā animata, adeoq; homines, quod sibi perlvadeat is, qui cucurbitam pro cerebro habet. Non enim moramur objectionem illam: *Quicquid potest virtus inferior, id potest etiam virtus superior,* cum paratam habeamus limitationem scil: intra virtutis ejus objecti latitudinem, alias non. sic musca muscam generare potest, homo tamen, etsi sit virtutis longe superioris, muscam producere nequit. Nec ( $\gamma$ ) alicujus caput

sic

sic καλοκύθην quærere existimo, ut solius Sagæ semen fæcundum esse putet, ea enim sententia nec tanta luce radiata, nec tanto rationum pondere corroborata vivit, ut refutatione digna excipiatur.

## §. V.

Ex ea, quæ jam dicta sunt, formam horum fætuum *Internam seu essentialem*, animam rationis participem non esse, facile patet, eosq; nullam formam propriè & physicè sic dictam participare posse elucet, cum illa, ut omni, ita & soli corpori naturali competit. Relinquitur ergo, qvod ipse Cacodæmon, illos pro arbitrio suo movens, per illos actiones humanas edens, omniaq; quæ illi præstare videntur, variis artibus & dolis, fraudibus & machinis, præstans, heic formæ vicem subeat. Qui non tanquam incompletum qvid, una cum materia corporum horum essentiam ingreditur, ut *forma informans*; sed tanquam *assistens* extra essentiam manendo, operationes eorum, ut auriga currum

rum & nauta navim dirigit, plane eodem modo ac corpus assumentum illud, per quod cum mancipiis suis, dum Diabolicus hic fœtus suscipitur, congregatur, quâ de re suprahujus sectionis paragrapho II. Forma eorum *externa* est partim *absoluta* talis, figura scil: illa, qua apparent, quæ humanam repræsentat imaginem, at insigni deformitate non carentem, quam præprimis monstrosum caput tantæ magnitudinis, ut interdum hominis adulti exsuperet, parit. Partim *respectiva*, quæ illos in esse suo respectivo constituit, eaque est ipsa à Diabolo, astutia callidissimo, artibus promptissimo & machinis refertissimo, loco verorum infantium suppositio.

### §. VI.

Audivimus in superiori paragrafo, Diabolum ut formam operationes horum Cambionum dirigere, non itaq; male nos facere autumamus, si heic loci, *ως ἐν παροδῷ*, ingenii nostri tenuioris tentamina paulo altius ipsorum indoli immergeentes recenseamus operationes

istas, quæ in seqventibus attributis eorum oppidò conspiciuntur, ut sunt:  
1. *Gulositas insignis*, qvam, non solū qvantitate, sed etiam festinatione, ut ex *ānōψia* B. Lutheri, in ipso fere limine hujus dissertatiunculæ percepimus, committunt. Sperlingius dicit pro Infante uno sœpè vix qvinque mulierum ubera sufficere. Verum enim vero manducatio hæc non potest esse vera & propriè sic dicta, qvæ per *χύλωσιν*, *αιμάτωσιν* & *κάρδιαν* fit, per facultates & actus vegetantis animæ, quâ illi omnino destituntur, exercetur: sed impropria & apprens saltim, in trajectione vide- licet cibi per os in stomachum aliamve corporis partem, consistens. Qværenti vero qvid tandem fit de cibo hoc? responsum damus tale: qvod consumatur & redigatur in præjacentem materiam elementarem, sicuti radius solis humorē aquæ, virtute potestatis cœlestis consumit. 2. *Vagitus fere continuus*, & clamor interdum Stentoreus, nocturnis enim diur-

diurnisque vagitibus aures miserorum parentum, qvorum legitimæ prolis loco sunt positi, replent. Adversa, quæ accidunt magno lætoq; clamore excipiunt, ut mox dicetur. 3. *Deformitas* *baud exigua*, cum in aliis membris, tum præcipue in monstroso capite, ut superius indigitavimus, conspicua. 4. *Accretio nulla*, nam cum ad actus vitales exercendos, per naturam est improportionatus Diabolus, utique nec in hoc corpore, qvod nihil ad ejus actus cooperatur, sed est merè *magnanīus*, illas exercere qvit. Accretio autem illa, si quæ interdum apparere solet, non est Physica augmentatio, sed successiva corporis ejus formatio. 5. *Locvendi difficultas*, aut enim nullum ex ore illorum excidit verbum, aut paucula valde mutilata exprimunt proferunt. Et 6. *Exasperatiæ facilis*, cum enim impiè vivatur, peccata committantur, vel alias minus ex sententia res qvædam gerantur & aliquid adversi accidat, *exasperat* magnum clamorem & cachinnum tollunt. Contra

vero, si pietati serviatur, vel ex voto aliquid secundi eveniat, haud exiguum capiunt dolorem & contristantur, prout Historiae demonstrant & experientia probat. Hæc sunt attributa eorum præcipua, qvibus facilimè à veris & genuinis infantibus dignoscuntur.

### §. VII.

Dum, imponentibus nobis ordine naturæ & necessitate, postulante etiam connexionis ratione, ad ultimam causam *finalem* scilicet explicandam dilabamur, non possumus non fateri, si unquam alibi, in hisce *μνειαλεχύτες* Diaboli technas & dolos, præstigias & fraudes nobis ante oculos obversari. Quæ omnia illum temerario quodam impetu & inconsulte machinari, nemo, nisi intra gravem reprehensionis aleam constitutus, dixerit, ἐπεντα γὰρ τινὸς ἀττι προστέτει, οὐδὲ νῦν ἔχων, loquitur Philosopherum phosphorus Arist: lib. 2. Metaph. cap. 2. Quin potius Dei hominumque perduellis factus, contra Deum horribili odio fremit, nihil in generis hu-

humani perniciem quod cedere que-  
at non tentat, & nihil, ut, quod pro-  
prium ejus est in quarto modo, *homines decipiatis*, inexpertum omittit. De-  
cipit autem non solum Sagas & Lam-  
ias, eo quod turpiter cum iis congregati-  
atur, monstrorum ejusmodi partum ex  
iis fulcipient, & ita, ut nisi resipiscant  
ad æternum præcipitentur exitium,  
circumveniat. Hostis enim, ut validissi-  
mus, ita astutissimus est, & in quæ pec-  
cata miseris illicet, de iis ipse illas ac-  
cusat, videlicet quod generi humano fe-  
licitatem invideat, quod misericordiæ  
Divinæ fores, quas sibi præclusas esse  
scit, nobis patere videat. Quin imo,  
permittente sic summo Numine, piis  
etiam hominibus, quorum genuinam  
prolem aufert, quibus suam adulteri-  
nam substituit, illudit. Quod fit dum  
hæcce ~~reptile~~, illos, sua deformitate &  
horrendis gestibus, conterreant, illo-  
rum aures continuis vagitibus imple-  
ant, illi vero hisce, ut genuinis suis par-  
tibus, oscula figant dulcissima, hæc am-

plectantur, & non sine gemitibus & lacrymis ut integritati restituantur solliciti sint. Et quamvis tales Diaboli actiones permittat Deus, sive potius toleret, vel ad justorum temptationem, vel ad peccatorum punitionem, sunt enim Dæmones ministri Justitiae Divinæ; eas tamen, siquidem malæ sint, non vult, nam malum consistit formaliter in inordinatione ad voluntatem divinam, quapropter id, nec per se nec per accidens velle potest, ut loquuntur Pneumatici. Porro, licet immediate cum omnibus causarum secundarum actionibus concurrat, ad malas tamen id facit saltem *concursum generali*, totam naturam agentem sustentando, motum sive potentiam agendi largiendo, nunquam tamen *speciali*, multo minus *singulari*, ut prolixe & subtiliter differit Excellentissimus Professor Wanochius in suis Disquisit. Pract. pag: 499. & seqq.

## SECTIO

## SECTIO TERTIA.

*Εξωτικαὶ nonnulla selectiona circa hanc  
materiam occurrentia enodans.*

**N**ominis evolutionem simplici filo adumbravimus, quantum ingenio adseqvi licuit, & qvanta maxima nobis adhuc obtigit fide, ipsam etiam περι-  
μαζλογίαν lustravimus, placet jam in ultimâ hac sectione breviter, brevitatem juxta propositam, unam alteramve qvæstiunculam, pro nostro talento explicare ac enodare.

### QVÆST. I.

*An Infantes supposititii Monstrorum nomine  
insigniri queant? Resp.*

Ut datae qvæstionis sensus tanto clarior fiat, nosq̄ eo expeditius in ejus decisione queamus progredi, varias *Monstri* significaciones, cum iste terminus sit πλύσημα, in primis indicare operæ pretium esse existimamus. Sumitur autem vel pro qvovis non communi ac vulgari, sed raro ac insolito, unde monstradicere, narrare, nuntiare. Sic Cardano viri profundæ eruditionis mon-

stra dicuntur. *Vel* pro errato mechanici, seu artis cuiusdam illiberalis periti, sic monstrum pingere dicitur pictor, cum à recta artis orbitâ declinat, *Vel* tandem pro naturali effecto insigni & enormi deformitari obnoxio. Et cum in priorib<sup>9</sup> *κατεχόνσιν* & valde impropriè usurpetur hæc vox, in hac ultima acceptione, secundum rigorem physicum, nos eam intelligimus, siveque quæstionem negare quin possimus nihil impedit. Nam quotiens natura ab ordinario generationis modo declinet, totiens quoque monstra producit, & sic omne monstrum quamvis à natura deficiente & aberrante sit productum, ab ea tamen intenditur, si non *ωρώτως* tamen *δευτέρως*, estque ejus effectum & opus. Hi vero personati Diaboli, hæc Satanæ ludibria, cum non sint naturæ *ἔργα*, inter ejusdem non possunt recenseri *πολεμήγα*. Impropriè vero, per vulgarem loquendi modum & juxta primam τε monstri significationem, quodin sic appellari possunt non inficiamus.

## QVÆST. II.

*Quid reqviritur ut spiritus assumere corpus dicatur? Resp.*

Siqvidem corporum assumptio-  
rum nomine cambiones jure meritoꝝ  
insigniuntur, Diabolusque in corpore  
assumptio, dum illi suscipiantur, cum  
vetulis suis libidinosissimis turpiter con-  
greditur, num hæc qvæstio heic com-  
mode tractetur, in dubium vocari haud  
posse nobis pervasum habemus. Ad  
inveniendum vero statum ejus, funda-  
menti loco præsupponimus distinctionem  
inter *Assumptionem corporis* quæ fit  
(α) θεωρῶς, essentialiter, qvomodo ani-  
ma resumit corpus in resurrectione; ast  
cum spiritus completi formæ informa-  
tivæ non sint, repugnat ut corpora hoc  
modo assumant, & iis per informativam  
unionem uniantur. (β) ἴωσαλνῶς,  
per unionem hypostaticam, prout persona  
τῆ λόγια assumpsit corpus; talis unio ex  
communi Theologorum consensu, crea-  
turis est impossibilis. Et (γ) ὁδοσαλνῶς  
& οὐμβεβηκότως, per unionem accidentalē,

& sic angelī, sive boni sive mali assumunt corpora in quibus apparent. Hæc autem unio iterum duobus fieri modis potest, 1. ut intelligentia tantum sit in corpore, aut in eo aliquid agat, sicut cum Dæmones sint in obsessis & in iis loquantur. 2. ut non tantum in aliquo existat Corpore realiter, sed eo quoque ad apparitionem utatur, Talis est hujus loci propria. Iam paucissimis ad quæstionem: Ut spiritus hoc modo dicatur assumere corpus, vel ad hanc unionem accidentalem tria omnino requiruntur: ( $\alpha$ ) ut spiritus substantia-liter existat in corpore assumto. ( $\beta$ ) ut existat in illo sicut motor in mobili. ( $\gamma$ ) ut per illud tanquam instrumentum personam suam repræsentet & operationes vitales (in sensu pneumati-co tamen non physico, seu improprie non proprie sic dictas) exerceat. Ratio est, quia his conditionibus positis omnes intelligunt vere apparere spiritum, illis vero deficientibus nemo id intelligit.

QVÆST. III. & ultima.

*Quid fit de Infantibus illis, quos Satanus suffuratur, quorumque in locum suos supponit ? Resp.*

Non mirum, qvod extricandæ hujus qvæstionis difficultas magis sit, cum à sensu, quo ceu ductore & doctore, omnium ferme eorum, quæ scimus, notitiam haurimus, multum sit remota, humanaque (ut vere Scaliger) in rebus à sensu remotis lingua balbutiat & ratio hæsitet. Ast, qvod nos arctioris, qui sumus ingenii, illimatæque eruditionis, eo rapuit confidentia, ut qvæstionis hujus difficultatum sentibus irretitæ scrutinio animum involvere nostrum non dubitemus nec vereamur, spero omnem nos præsumptionis protinus effugituros suspicionem, dum æqvis causæ æstimatoribus constiterit : præsumpsisse nobis neutiquam, satis eidem enodandæ nos pares esse, præsertim cum apud neminem, cujus vestigiis infistere possumus, eam tractari vidimus ; sed leviter duntaxat eam libare, nostramque candidam men-

mentem brevissimis hisce seqventibus  
aperire. Testantur historiæ, experien-  
tia probat, Diabolum spurcissimum il-  
lum spiritum qvosdam Infantium sur-  
reptitorum, permittente sic divina Ma-  
jestate & Justitia, parentibus suis non  
reddere, qvosdam vero, jubente & di-  
rigente sic eadern, illis restituere. Illos  
enecatos ministris & mancipiis suis, ut  
pote Magis, Sagis & Lamiis excoqven-  
dos comburendosve ad varios usus, va-  
riaque opera magica ( qvæ omnia heic  
enumerare non videmus è re esse )  
concedit, quod perplurimæ Sagæ pœ-  
nitentiam agentes, & ad supplicium &  
mortem ductæ confessæ sunt. Huc per-  
tinent etiam illi versus Nasonis :

*Nocte volant, puerosq; petunt nutricis egentes,*

*Et uitiant cunis corpora raptæ suis:*

*Carpere dicuntur lactentia corpora rostris,*

*Et plenum poto sanguine guttur habent.*

Hos vero probabile est ipsi malè tra-  
etare licitum & concessum non esse, cum  
eos integros & incolumes, adulterinis  
tandem ablatis, suis restituit parentibus.

CLAU-

## CLAUSULA.

Heic, Candide docte<sup>q</sup>; Lector, calamum retrahimus & disputatiunculam hanc ad exodium deducimus, quamvis, ut specimen hoc qvalecunq; cogitationum nostrarum latius expandi debuisset, constituimus; partim enim summa libroru inopia, partim valetudinis hoc tempore tenuitas, ut sic coarctaretur, imposuerit. Si ergo quid in his, quæ de abstusissima hac materia allata sunt, frigidè concepta & minus limata, imo verius in chartam conjecta, quam arte elaborata deprehenderis, ea, præter humanam imbecillitatem, iisdem adscribas causis, nosq; grato favore proseqvaris, debita deve-  
neratione & modestia contendimus, quo nostra Te accedunt non minus vota quam officia. Livorem vero invido dente nos carpentem, siqvadem sinistra in lucem eum extulit natura, corde durato ferimus, & quasi canum latratus contemnimus.

*Hic Finis capto, Triadi sit gloria Sacra,  
Quod mentem nostram rexerit & calamum.*

COR-

# COROLLARIA PHYSICA.

1. *Materia stellarum est lux primigenia.*
2. *Stellæ recte dicuntur corpora respe-  
ctive simplicia.*
3. *Hinc, qui nescit distingvere inter sim-  
plex & mixtum corpus, ille prodit  
suam ignorantiam in doctrina mix-  
tionis.*
4. *Cometarum materia Deo non ho-  
mini nota est.*
5. *Materia fulminis in qua sunt effluvia  
sulfurea nitrosis permista.*
6. *Respirando non solus attrahitur aer.*
7. *Calor non est propriæ in aqua calida.*
8. *Terra cum montibus ab initio crea-  
tionis fuit producta.*
9. *avitecias non datur.*
10. *Anima realiter à suis differt facul-  
tatis, & illæ etiam inter se.*
11. *Mundus non est species corporis, sed  
omnium specierum compages,*
12. *Mundus senio non deficit.*

*Ornatissimo Juveni*

DN. HEMMINGIO MONTELIO,  
Optimarum artium cultori indefesso,  
amico singulariter dilecto de in-  
fantibus supposititiis solerter  
docteque differenti.

**A**dua doctrinae concendi culmina sum-  
mae,  
Dum sistis specimen varum simul atq;  
peritum,  
Culta Minerva tuis plaudet conatibus Euge!  
Et Pallas tandem tibi præmia reddet opimæ,  
Macte! tuos animi dotes celebrare per orbem,  
Quo tibi surgat honor, vivat tua fama per  
ævum,  
Astripotens Dominus vasti moderator O-  
lympi,  
Det facilem cursum, studiorum det tibi metam.

Animo quam verbis prolixiori  
sic gratulatur

E. FALANDER,  
Junior.

**M**usis assiduum mos est extollere a-  
micum :  
Indolis ingenuæ nunc , Castalidumq; I  
Choriq;  
Advenit unus & hic , semper (plaudente Mi-  
nerva )

Gymnasiis gnarus , docti q; parentis imago ,  
Qui impiger & nostras has aonidasq; ada-  
mavit.

Nectareum huic at nunc juveniq; parat dare  
nomen ,

Hoc doctum scriptū , cui plurima virtus & ardor  
Condecorandi inerit caput , & fulgenteq; donec  
Incedat titulo & donetur laude perenni .

Macte ! Tui studii specimen proferto in a-  
pricum ,

Temporis hoc curti scriptum Te percelebrabit  
Egregium , proprio quod vis defendere Marte ;  
Hinc & discedes , adspersus laudibus atq;  
Iccirco ex animo tibi gratulor , idq; calenti  
Voto , dignetur cæptis Deus addere flatu  
Successum sancto , redis & sic gratiior hospes  
Sint jam fata precor felicia , terque beata ,  
Et pede felici , hoc iter insimul optoq; carpas .  
Omnia sic fieri , vovet hic jam pectori puro !!!

*Amico suo ut integerrimo ita pro-  
batissimo*

SUNO THELIN ,  
S. R. M. Stipendiarius .

Natalium & liberalium Studiorum laude  
conspicuo Juveni  
DN. HEMMINGIO MONTELIO  
Fratri sincerè Dilecto:

Egregium Exemplum, prestas mi Frater a-  
mande

Dum clare monstras, ingenii specimen;  
Testatur presens, jam Dissertatio docta  
Quam gnarus fueris, nocte dieq; simul.  
Ingenium solers, jam semet spargit in auras,  
hinc ornas Nomen; Doctior inde redit.  
Gratulor & multum, mibi de commilite tali;  
Optans ex animo, digna BegeBeia feras!  
In laudes patriæ tu solameng; Parentum  
Vidas incolumis, tu valeasq; diu !!!

Animo gratulabundo festinanter  
pauca reliquit

PETRUS J. KOMSTADIUS  
S. R. M. Alumnus

---

Τῷ ἐπὶ λόγοις καὶ ἀρεταῖς ἐυδοκίμῳ Άνδρᾳ  
νεανίσκῳ,  
Κυρ. ἙΜΜΙΝΓΙΩ τῷ ΜΟΝΤΗΛΙΩ,  
παιδεύη με πολυήμιῳ.

H προκεπή Σε ἐν τέχναις ταῖς ἐλευθέροις, δι-  
δάσκαλε Κύριε, ην σπαδῇ καὶ κωπῷ πλῆρε  
αὖτο

ἀπὸ Βρεφος ἐμοῦ, τὸν δὲ οὐχίτησις Συ δέ  
κινσι. Τὴν οεἰδεῖτον Σα εὐγενεῖσιν, η εἰ  
Σοὶ λάμπει, ωντον πρὸς τῶν συνῆδων, ἀλλὰ καὶ  
πάλιν τῶν φυθρῶν πατέρων ἐπὶ πατέρων πεπει-  
σμένοις. Εὐτύχιας εὐθύνης εὐθύνης, πατέρων  
χειρὶς ἄτας καὶ τὸ λοιπόν, Σοὶ καὶ τοῖς σα περι-  
αψέσισιν ἐκ τῆς βοσκεύς οὐ Θεος εὐλογεῖ, οὐδὲ χρή-  
σιμοντῆς πατέρων τὸ μέλος νομοτανέποντας.  
Εὐτύχιας γονέων χαρεῖ γάτη ! Ερρώσι :

Ἄσ Εὐχεῖσι

ΗΝΡΙΚΟΣ ο ΚΟΛΙΑΝΔΕΡ.

